

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 41767/08 CG

N

Iurium

Recursus adversus decretum rotale diei 19 iulii 2008

(Pontificia Universitas X – Capitulum Y – Archiconfraternitas Z)

IN NOMINE DOMINI. AMEN

BENEDICTO PP. XVI feliciter regnante, Pontificatus sui anno V, die 5 septembris 2009, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Atilio Card. Nicora et Carolo Card. Caffarra, *Ponente*, atque Exc.mis ac Rev.mis D.nis Raimundo Leone Burke, *Praefecto*, et Henrico Mussinghoff, intervenientibus Cl.mo Luciano D'Andrea, Archiconfraternitatis Z Patrono, Cl.mo Carolo Gullo, Pontificiae Universitatis X Patrono, Cl.mo Richardo Marconi, Capituli Y Patrono, et Rev.mo Ioanne Paulo Montini, Promotore Iustitiae, in causa de qua supra, hanc definitivam tulit sententiam.

I. FACTI SPECIES

Empto a Pontificia Universitate X integro aedificio sub inscriptione ..., Capitulum Y dominium tantum retinuit ecclesiae A, in qua suam sedem Archiconfraternitas Z habet.

Negotio iam perfecto, praefata Archiconfraternitas, aliis opponentibus, ius suum vindicavit in ecclesiam et in aedificium adnexum.

Cum autem Tribunal dioecesanum N. incompetens sese declaraverit, integra controversia coram Rota Romana proposita est atque, omnibus consentientibus, dubiis insequentibus circumscripta est:

«1) Utrum aedificium situm [...]a Capitulo Y alienatum Pontificiae Universitati X contractu diei 22 iunii 1990 et super quo Archiconfraternitas Z ius ad usum perpetuum vindicat:

a) liberum relinquendum sit a personis et rebus, ex parte commemoratae Archiconfraternitatis;

b) an vero Archiconfraternitas iure usus, uti supra gaudeat.

2) Utrum Archiconfraternitas Z saltem iure gaudeat necne ad usum “pertinentiarum” ecclesiae A.

3) Quatenus negative ad primum (sub b) et/vel ad secundum: utrum Archiconfraternitas Z de damnis ob non servatam diem cessationis contractus commodati teneatur necne; et, quatenus affirmative, quaenam sit

mensura huius refectionis, ad mentem can. 1290 CIC relate ad artt. 1338 et praesertim 1804.

4) Quatenus affirmative ad primum (sub b) et/vel ad secundum:

a) Utrum Capitulum Y de damnis resarciendis ob acquirenti non datam notitiam servitutum, quae bonum alienatum gravabant teneatur necne, ad mentem can. 1290 CIC relate ad artt. 1338 et 1494 c.c. [...];

b) Utrum Pontificiae Universitati X ius competat rescindendi contractum (can. 1290 CIC relate ad art. 1455 c.c. [...]) cum restitutione summae acceptae et damnis;

c) Utrum Archiconfraternitati Y ius competat ad damnorum refectionem a Capitulo Y et/vel a Pontificia Universitate X».

Quibus dubiis idem Apostolicum Tribunal primo, videntibus quinque coram R.P.D. Defilippi, die 24 iulii 2003 respondit Affirmative quoad omnia, excepto quoad primum sub littera b), cui respondit Negative, atque quoad quartum sub littera b), quia dubium non proponebatur, dein, videntibus septem coram R.P.D. De Angelis, exsecutione provisorio decreta, die 17 ianuarii 2008 respondit Affirmative quoad omnia dubia, excepto quoad primum sub littera b) et quartum sub litteris a) et c), quibus respondit Negative, atque quoad quartum sub littera b), quia dubium non proponebatur.

Quam adversus decisionem rotalem appellationem proposuit Archiconfraternitas, eandem sententiam priori sententiae rotali haud conformem censens. De iure appellandi Rota Romana, videntibus omnibus coram Exc.mo Decano, quoad singula dubia concordata atque responsione iudiciali ditata, die 19 iulii 2008 decrevit: ad primum et secundum dubium, Negative ob decisionum conformitatem; ad tertium, Affirmative tantum quoad mensuram refectionis damnorum; ad quartum sub littera a), Negative ob non interpositam appellationem, sub littera b), Negative propter non propositam quaestionem ad decernendum in utraque instantia, sub littera c), Affirmative, tantum quoad obligationem Capituli Y.

Quod adversus quoque decretum ad H.S.T. eadem Archiconfraternitas die 31 iulii 2008 provocavit, at Signatura Apostolica die 23 septembris 2008 recursum in limine reiecit, quippe qui appellationis figuram prae se ferret, de qua hoc Supremum Tribunal non videt.

Recurrit denuo Archiconfraternitas die 29 septembris 2008 ad H.S.T., restitutionem in integrum postulans adversus decretum rotale diei 19 iulii 2008, quod sententiam rotalem coram R.P.D. De Angelis sententiae rotali coram R.P.D. Defilippi conformem declaraverat.

Re rite discussa inter Cl.mos partium Patronos atque Rev.mum Promotorem Iustitiae, Exc.mus Signaturae Apostolicae Praefectus in Congressu, die 9 ianuarii 2009 habito, recursum adversus decretum rotale

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

videntibus omnibus coram Exc.mo D. Stankiewicz die 19 iulii 2008 latum statuit admittendum esse et facto admitti coram Em.mis et Exc.mis H.S.T. Iudicibus tantum ad loca quae sub num. [4], [5] et [6] in adiecta descriptione enumerabantur, non esse, autem, admittendum et non admitti quoad cetera loca.

Die 7 februarii 2009 coram Exc.mo H.S.T. Secretario dubiorum formula statuta est: «An concedenda sit restitutio in integrum adversus decretum rotale diei 19 iulii 2008; et, quatenus concedatur atque SS.mus causae delationem ad hanc Signaturam Apostolicam concesserit: Utrum confirmanda sit sententia rotalis diei 17 ianuarii 2008, necne, id est utrum Archiconfraternitati ius competat usus locorum sub num. [4], [5] et [6] in adiecta descriptione, necne».

Petitione de facultate iudicandi de merito die 28 februarii 2009 SS.mo porrecta, Summus Pontifex die 31 martii 2009 benigne adnuit ut Supremum Tribunal, si et quatenus in casu concessa fuerit restitutio in integrum, causam de qua, unica pronuntiatione, ad normam iuris executiva, de merito iudicaret (cf. epistula Em.mi Secretarii Status die 22 aprilis 2009 data, prot. num. 118.164).

Accessu iudiciali die 7 martii 2009 peracto atque summario rite confecto, die 12 maii 2009 dubiorum formula definitive confirmata est: **«An concedenda sit restitutio in integrum adversus decretum rotale diei 19 iulii 2008; et, quatenus affirmative: Utrum confirmanda sit sententia rotalis diei 17 ianuarii 2008, necne, id est utrum Archiconfraternitati ius competat usus locorum sub num. [4], [5] et [6] in adiecta descriptione, necne».**

Sessione in diem 5 septembris indicta atque Em.morum atque Exc.morum Iudicum nominibus cum partibus communicatis, die 4 septembris 2009 Exc.mus H.S.T. Praefectus certior factus de impedimento cuiusdam Em.mi Iudicis. Ne causae conclusio adhuc procrastinaretur, a SS.mo impetrata est facultas in casu per Collegium quattuor Iudicibus constans iudicandi (cf. litterae Exc.mi Substituti pro generalibus negotiis Secretariae Status die 4 septembris 2009 datae, prot. n. 124.576).

Propositis dubiis tandem Nobis est respondendum.

II. IN IURE ET IN FACTO

Opus est imprimis materia contentionis in casu apte discernere ab iis quae sub controversia non cadunt. Distinguendum, nempe, est inter responsiones seu decisiones decreti rotalis diei 19 iulii 2008 adversus quas restitutio in integrum peti nequit et illas adversus quas restitutio in integrum adhuc possibilis est.

Adversus primam decisionem rotalem, qua conformitas evidenter

statuitur, restitutio in integrum absque ullo fundamento petitur. Adversus tertiam et quartam decisionem, sub littera c) restitutioni in integrum locus non est, cum decretum rotale ius appellandi agnovit ac proinde vis definitivae non habetur. Adversus quartam decisionem sub littera a) restitutio in integrum ab Archiconfraternitate peti nequit cum res sit inter alios acta, id est inter Capitulum Y et Pontificiam Universitatem X; adversus eandem sub littera b), restitutio in integrum pariter haberi nequit, cum sententiae rotales nihil ad rem decernendum habuerint.

Superest ergo tantum secunda decisione, adversus quam restitutio in integrum petita est, id est de iure usus locorum ad ecclesiam A pertinentium in favorem Archiconfraternitatis.

Imprimis agendum est de loco [7], de vestibulo, nempe, quo aditus patet ad num. inscriptionis ... Restitutio in integrum petita hunc locum [7] non concernit. Primo, Cl.mus Archiconfraternitatis Patronus decretum Congressus diei 9 ianuarii 2009, quo petitio restitutionis in integrum haud admissa est quoad cetera loca (loco [7], proinde, incluso), non impugnavit ac proinde decisio illa firma evasit. Secundo, inaniter Archiconfraternitas can. 1645, §2, 2° praescriptum, cum can. 1646, §1 praescripto collatum, invocat. Documentum enim quod nuper detectum asseritur impar est iniustitiae manifesto demonstrandae, quippe quod utpote votum peritale ad instantiam partis redactum sit et quidem ex parte auctoritatis ad Statum [...] pertinentis, non autem ex parte competentis auctoritatis ad Rem Publicam [...] pertinentis. Si huiusmodi documentum ad rem acciperetur, res iudicata numquam haberetur vel semper precario. Tertio, sedulo adnotandum est quod, si lex statualis [...], temporibus advenientibus, hunc exitum supplementarem exigat, Archiconfraternitatis erit loca pertinentia denuo ad rem definienda postulare; nam quaestio tunc erit facti potius quam iuris.

Quaestio tandem ad loca [4], [5] et [6] apte circumscripta nunc Nobis prostat, et quidem duobus distinctis iudiciis: primo, quod rescindens nuncupatur, an concedenda sit restitutio in integrum adversus decretum rotale diei 19 iulii 2008; altero, quod rescissorium dicitur, an confirmanda sit sententia rotalis coram R.P.D. De Angelis.

Iudicium rescindens

Ad normam can. 1645, §2, 4° restitutio in integrum adversus decisionem in rem iudicatam transactam datur dummodo de eiusdem decisionis iniustitia manifesto constet ob legis non mere processualis praescriptum evidenter neglectum.

Quod praescriptum a decreto rotali diei 19 iulii 2008 neglectum infrascripti Patres tenent illud can. 1641, 1°: «res iudicata habetur si duplex intercesserit inter easdem partes sententia conformis de eodem petito et ex

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

eadem causa petendi».

Praescriptum can. 1641, 1° a praefato decreto rotali neglectum fuit duobus sub respectibus, qui simul considerandi sunt.

En prius argumentum. A sententia rotali coram R.P.D. De Angelis conformitas eiusdem sententiae cum sententia rotali coram R.P.D. Defilippi decreta est. Quam quidem adversus decretam conformitatem Archiconfraternitas appellavit. Iudices rotales, tamen, in decreto rotali diei 19 iulii 2008 hanc appellationem tantum sub quaestione de iure appellandi pertractandam ac definiendam praesumpserunt. Hac processualium remediorum permutatione facta, Iudices rotales appellationis meritum ingredi debuerunt, quod apprime patet ex fusiore discussione atque pertractatione, quae in praefato decreto rotali de facto habentur. Hoc modo decretum illud art. 106 Normarum rotalium neglexit, iuxta quem quaestio de iure appellandi, ad instar examinis libelli litis introductorii, instituta atque instituenda est tantum ad appellationes quolibet fumo boni iuris certo atque evidenter destitutas reiciendas.

En alterum argumentum. Sententiarum rotalium conformitas quoad loca [4], [5] et [6] certa atque evidens minime habetur.

Iudices rotales, proinde, ius appellandi negaverunt ex asserta sententiarum conformitate. Cum tamen conformitas illa minime evidens fuerit, Iudices rotales a quaestione de iure appellandi ad quaestionem de decisionum conformitate transierunt, meritum appellationis ingredienti: hoc modo patefecerunt ius appellandi certo et evidenter denegari non posse.

Iudicium rescissorium

Vi facultatis a SS.mo die 22 aprilis concessae, H.S.T. post restitutionem in integrum, iudicium quoque rescissorium ferre tenetur. Dubio insequenti proinde Nobis respondendum est: **«Utrum confirmanda sit sententia rotalis diei 17 ianuarii 2008, necne, id est utrum Archiconfraternitati ius competat usus locorum sub num. [4], [5] et [6] in adiuncta descriptione, necne»**. H.S.T. munere fori appellationis adversus sententiam rotalem coram R.P.D. De Angelis nunc fungitur: oportet proinde de re videre, et quidem pro unoquoque loco.

De loco [4], id est de cella campanaria

Quaestio medullitus his terminis perstringitur. Extra dubium est Archiconfraternitatem ecclesiae atque locorum ad eandem ecclesiam pertinentium usum habere, atque cellam campanariam ad eadem loca pertinentia iure spectare. Hucusque tamen cella campanaria de qua duabus partibus constat: agitur de loco [3] et loco [4]. Unde quaestio nostro examini

subiecta, num scilicet Archiconfraternitati usus integrae cellae campanariae agnoscendus sit.

Ad rem tria animadvertenda sunt. Primo. Ex iudiciali accessu ab H.S.T. decreto cella campanaria unica apparet etsi inpraesentiarum duobus locis constituta. Paries quae duo loca dividit addita est atque facile removeri potest. Secundo. Campanarum pulsus loci [4] usum exigit, secus duae campanae – quae certo ad ecclesiam pertinent – pulsari nequeunt. Tertio. Argumentum quod sumitur e silentio contractuum commodati annis 1987 et 1990 stipulatorum quoad locum [4], nihil faciendum est ad nostram quaestionem solvendam. Nam locorum ad ecclesiam pertinentium enumeratio quaestio iuris evadit nec proinde ex libera partium voluntate statui oportet. Quarto patet in loco [4] aditus ad chorum ecclesiae, nunc quidem obstructus, qui autem facile denuo aperiri potest.

Ex quibus argumentis satis constat usum cellae campanariae integrae, loco [4] incluso, ad Archiconfraternitatem spectare.

De locis [5] et [6], id est de latrina seu de aula hygienica

Medulla quaestionis insequens evadit: utrum latrina, quae ad ecclesiam pertinet, locum [2] sit an locum [5]. Ex accessu iudiciali ab H.S.T. decreto certo constat locum [2] ad usum latrinae destinatum esse, dum progrediente tempore aula hygienica in locum [5], id est in locum latius patens, translata est. Quae locorum permutatio sufficitne ad efficiendam aulam hygienicam, de qua ad locum [5], ad ecclesiam pertinentem? Tria argumenta attente consideranda sunt. Primo, locus [2] aptis mediis adhibitis ad pristinum latrinae usum redigi potest. Secundo, loca ad ecclesiam pertinentia non ex commoditate sed ex necessitate enumeranda sunt, et locus [5] commodior evadit, dum autem locus [2] sufficiens. Tertio, cum accessus ad locum [5] sit tantum per locum [6], usu loci [5] Archiconfraternitati tributo, et usus loci [6] eidem Archiconfraternitati tribuendus est. Quod onerosius esset pro domino seu pro Pontificia Universitate X.

Ex quibus scatet usum locorum [5] et [6] Archiconfraternitati agnoscendum non esse.

III. CONCLUSIO

Omnibus sive in iure sive in facto aequè rimatis, infrascripti Iudices, Christi Nomine invocato, pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum decreverunt ideoque facto respondent:

AFFIRMATIVE *ad primum*, seu concedendam esse restitutionem in

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

integrum adversus decretum rotale diei 19 iulii 2008;

**NEGATIVE *ad secundum*, seu confirmandam non esse sententiam
rotalem diei 17 ianuarii 2008, id est Archiconfraternitati ius competere
usus loci sub num. [4] in adiecta descriptione, non autem locorum sub
num. [5] et [6]**

Retineatur cautio in arca H.S.T. ab Archiconfraternitate deposita. Partes suo
quaque Cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.

Ita pronuntiamus ac statuimus, mandantes iis quorum interest, ut hanc
Nostram definitivam sententiam executioni tradant, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 5
septembris 2009.

(Signati) Carolus Card. CAFFARRA, *Ponens*
Atilius Card. NICORA
Raimundus Leo BURKE, *Praefectus*
Henricus MUSSINGHOFF

Et notificetur.
Die 5 octobris 2009.

+ Franciscus DANEELS, o.praem., *Secretarius*

Paulus MALECHA, *Praepositus Cancellariae*